

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

**XXXIV. De spirituali esca.**

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

sepe venit, potumque jam sibi paratum potavit. Ex quo tam plene hausit, ut inde amore ebrius factus fuerit, et in omni virtute cunctam sui cordis intulerit mōlestiam, quæ virtutibus illud contulit ut semper bonæ et absque infirmitate essent.

Salubris potus me delectat : potus est poena pro Dei amore, quæ si amarior videtur, hac radice temperatur : pati libenter. Alia vero superaddi potest radix, nempe, patientia in poena, quæ et ipsa amara invenitur. Huic alia item injicitur, quæ vocatur sanctus fervor, quo patientia omnisque nostri labor dulcoratur. Tertia radix est in poena diu vitam æternam nostramque salutem expectare. Multam adhuc retinet amaritudinem, ad quam temperandam alia sumitur radix : cum gaudio indefatigabiliter.

Eia, dilectissime Domine, vis-ne mihi hunc potum propinare? tunc cum gaudio indefesse in poena potero vivere. Etiam regno coelesti, quantumvis dulce sit ejus in me desiderium, aliquandiu volo carere. Nunc illud juxta tuam dilectissimam, Domine, mihi concedere debes voluntatem; hisque etiam qui illud per tuum exoptant amorem.

#### XXXIV. DE SPIRITUALI ESCA.

**P**ost amarum potum, dulcior exquiritur esca. Ascendens desiderium descendensque humilitas, necnon diligens charitas, tres virgines ad cœlum animam sustollunt; coramque Deo reponunt, dilectumque suum perspicit. Igitur sic loqui incipit : Domine, ego doleo te ab his qui in terra carissimi tui sunt, nempe christiani, tam acriter impugnari. Domine, querimoniam gero, quod tui amici a tuis inimicis adeo sunt impediti. *Dominus* : Cum isti sint recte in se boni, quodcumque ipsis supervenerit præter peccatum, in deliciis consumunt ad veri Dei manifestationem. Unde etiam poena clara voce proclamat : super omne Dei servitium mihi cedunt, quia homo secundum Dei voluntatem inconsolatus est, si secundum propriam voluntatem accipit consolationem. Dei quidem voluntas omnino pura est, nostra

vero ex unione carnis multos defectus sustinet. Quicumque enim valde in intimo diligunt, extra tranquilli apparent, quia omnis exterius labor interiore spiritum impedit, et quae intus spiritus decantat, omnem cantum excedit terrenum.

Patientia quidem omni Angelorum choro suavius cantat, quippe qui nullam patientiam exerceant, cum nullam poenam sustineant. Hoc ex Domini nostri accepimus humanitate, cum omni insuper gloria qua in terris a Deo glorificamur, et postea in celis exaltabimur. Ex nobili labore, sanctaque Domini nostri passione, noster christianus labor, bonaeque voluntatis poena nobilitantur, eodem utique modo quo aquae omnes ex Jordane, in quo Dominus baptizatus est, sanctificantur.

Eia, dilectissime Domine, succurre nobis, quatenus nostrum sanctum desiderium nunquam resideat, nostraque profunda humilitas nunquam ad superbiam se extollat, et fluens sancti amoris Dei flamma hic sit purgatorium nostrum, quo peccata omnia nostra eradicatus exterminentur.

## XXXV. DE SEPTEM PSALMIS.

**D**ILECTISSIME Domine Jesu Christe, hos septem psalmos ad laudem et gloriam omnium tuarum prenarum lego, cum in cruce mori voluisti pro meo amore.

Dilectissime, te deprecor, quando tempus veniet quo mandatum tuum in me per meam mortem explere volueris, ut ad me sicut fidelis MEDICUS ad suum filium venire digneris; mihique tunc concede sanctam inquisitionem, quatenus rectis sensibus, et vera christiana fide me intus præparem.

*Domine ne in furore.*

Te rogo, dilectissime Domine, ut tunc mihi sicut carissimus AMICUS in necessitate adesse velis, sicque mihi veram afferas requiem ut peccata mea sint intus omnino eradica, et inde ab isto corpore imperturbata remaneam.

*Beati quorum remissæ sunt.*